



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

II. De censu ecclesiae, quem ciricsceatum vocant, reddendo. Li. Sax. &  
Iorn. c. 2. in prooemio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

*Matth. 25.* gelio: *Omnibus habenti dabitur, & abundabit. Recolendum quoque nobis est quam terribiliter in libris positum est: Si decimam dare nolumus, aut auferantur nobis nouem partes, & decima sola relinquatur.*

ANNO  
CHRISTI  
918.

### II.

Et volo ut cyriscsceatta reddantur ad illum locum cui recte pertinent, & inde gaudeant in ipsis locis qui haec dignius erga Deum & nos volunt deseruire. Hortatur nos sermo diuinus æterna cum terrenis, cælestia cum caducis promereri. Nunc auditis quid in Deo præcipiam, & quid completere debeatis. Facite etiam ut mihi mea propria cupiatis, quæ mihi recte poteritis acquirere. Nolo aliquid iniuste mihi conquiratis: sed omnia vestra concedo vobis eo tenore quo mihi mea similiter exoptetis. Cauete simul & vobis, & eis quos admonere debetis, ab ira Dei & transgressione mea.

### III.

Ego Adelstanus rex notifico præpositis meis omnibus in regno meo, quod consilio Vvolfelmi archiepiscopi mei, & omnium episcoporum meorum & Dei ministrorum, ad remissionem peccatorum meorum, & acquisitionem vitæ æternæ, volo ut pascatis omni via pauperem vnum Anglicum indigentem, si sit ibi, vel alium inueniatis. De duabus Nith-firmis detur eis singulis mensibus ambra plena farinæ, & vna perna, vel vnu aries qui valeat quatuor denarios, & casei quatuor: & in tertia die pascæ triginta denarii ad vestitum duodecim mensium unoquoque anno. Et liberetis vnum *urire theovne*, id est, forisfactum seruum. Et hoc totum peragatur in misericordia Dei, & amicitia mea, sub testimonio episcopi in cuius episcopatu sit. Et si præpositus hoc superteneat, emendet 30. sol. & diuidatur haec pecunia per testimonium episcopi pauperioribus qui in ipsa villa erunt vbi hoc non fuit executum.

### IV.

Et de infracturis ecclesiarum, si quis reus appareat in triplici ordalio, emendetur sicut iudicialis liber dicit.

### V.

Decreuiimus etiam de sortilegis, & liblacis, & sortem dantibus, si hominem occidunt, & negare non possint, vitæ suæ culpa iudicentur. Si pernegare velint, & in triplici or-